

eventum a S. Leone propositum non intendisse in decreto suo comprehendere, et talem moribundum omnino debere absolvi a sacerdote, cum venerit; seque, si occasio se daret, absolutionem impensurum. Ita respondisse Clementem testati sunt Cardin. Bellarminus, et Archiepiscopus Armacanus, Petrus Lombardus, quorum uterque id testatus est Francisc. Flerontino et Leonardo Lessio, Societatis Jesu, cum Romæ essent, et scripto etiam manu sua obsignato id firmavit. Posteaque Armacanus Antistes simile scriptum, quo de responso illo Clementis testabatur, misit Lovanium ad aliquos illius Academiæ Doctores. Exhibet illud scriptum verbatim Ægid. Coninc., lib. de Absol. morib., sub finem.

Hunc clavum, impacto alio clavo, trudit Franciscus Hyacinth. Coquetius, dissert. de Confessione per litteras, c. 7, n. 36. Respondens enim ad argumentum tertium, propositum cap. 2, quod ex hoc Clementis responso ducebatur, ait quam modestissime, *optare se vel probabilem conjecturam, quod hujusmodi responsum a Clemente produisset*, et quamvis nolit quidquam detractum fidei Cardinal. Bellarmin. et Archiepiscopi Armacani, tamen cum de eorum testificatione non constet, non putare se plenam fidem adhibendam Flerontino ac Lessio, atque adeo Jesuitis qui facile similia objiciunt ac scribunt. Nec contentus hunc colaphum impingere viris bonis, subdit forte Clementem interrogatum esse de eo ægro non prorsus oppresso, qui, quamvis non possit distincte omnia sua peccata exponere, vel etiam ullius peccati speciem in particulari assignare, tamen coram sacerdote ostendit signa contritionis, quibus se peccatorem communi saltem ratione profitetur, seque absolvi velle, præsens præsentis sacerdoti significat. Quamvis enim id quoque esse a Pontifice responsum non admittit, et talem doctrinam veritate niti non arbitratur, tamen tolerabilior Coquetio visa est quam ea quam executimus, quod, scilicet, expressio peccatorum absentia facta, per manifestatam confitendi voluntatem, sit confessio sacramentalis. Quidquid vero demum responderit Clemens, ait Coquetius eum non respondisse ex cathedra, sed esse responsionem privatam, ab eo tanquam particulari Doctore traditam quæstioni non satis explicatæ.

Quantus hic micet splendor religiosæ modestiæ, mitto quærere vel urgere. Nam quamvis utcumque hic scriptor declinare videatur vo-

luisse invidiam impactæ Bellarmino et Antistiti Armacano mentitionis, tamen non obscure eorum fidem lacescit, cum nixam eorum testimoniis narrationem, et ab Armacano pluribus chirographis firmatam, ne probabili quidem conjectura niti affirmat. Deinde Flerontinus ac Lessius ejusmodi homines fuerunt, ut, vel in juratis et vadimonio defectis, credi possint aut etiam debeant. Flerontinum, et religiosissima vitæ per annos plurimos conformatione, et obitis gravissimis muneribus clarum, mendacitatis jure esse notatum, præsertim in re nota, et quam facillimum erat revincere, nulla vel probabilis conjectura suadet admittere. Lessius, scriptor toto orbe terrarum judicio, pelluciditate et accurate celeberrimus, iis autem moribus homo, quorum candorem nulla dehonestavit invidia, ut mentiri voluerit (quantumcumque suadere id nitatur F. Coquetius) non persuadeor, non credo. Jesuitas vero indiscriminatum, cum Cretenses non sint et pigris ventribus, mendaces esse, et in suam causam fabulas et mendacia verbo ac scripto spargere, quod innuit vel potius diserte ait Coquetius, ut crassum ac pingue mendacium aversor, et nulla fide dignum pronuntio. Verisimilius hæc labe iis affricaretur quos sæpe sæpius mendacitatis revictos constat, tam perspicue ut aliqui eam vivicomburiis expiaverint, uti Bernenses apud Surium, in Historia anni 1509, alii proscriptionibus librorum jussu Pontificum factis muletati sint, ut hic ipse cum quo ago Hyacinthus Coquetius, qui, adhibito in falsi testem Urbano VIII, vulgavit Fratris de Lemos miracula, id est conficta joculariter (ut postea rescitum est) de Lemosio, et superstite et de mortuo fabulamenta crassa; alii procul ablegata, pridem occæpta canonisationis causa nitentes, jamque celo illatas animas, ad muletæ figmentis meritissimo irrogatæ participium traxerint. Testis Pius V, vitæ sanctissimæ Pontifex, cujus canonisationem, confictæ de eo fabulæ, per judices cognitores deprehensæ, jam aliquandiu sunt remorata, quamvis absque ullis figmentis satis per se niteret Pius, possitque haberi canonisatione dignissimus. Talibus propolis fabularum, verisimilius ac justius affricaretur mendacitas quam Jesuitis fingendi rudibus, et morum antiquorum hominibus. Sed leve sit Jesuitis, et quidem omnibus, tale probrum inussisse. Extrema ex Coquetio adducta clausula, velut Scorpii cauda, ipsum quoque Pontificem ferit; non quod di-

cat Coquetius Clementem errasse ut privatam personam sic respondendo, sed quod ad quæstionem non satis explicatam respondisse dicat. At hoc stolidi hominis est et inconsiderati, sententiam de re non satis explicata præcipitare. Fuerit enim (si ita lubet) nulla interrogantium culpa, quod sibi consulentes et responsum quale volebant captantes, quæstionem haud satis explicite proposuerint; fuerat tamen respondentis, dum lux liquida affulgeret, hærerere, nec præceptum et inconsideratum responsum edere. Itaque, judice Fratris Coquetio, Clemens VIII, aliter respondendo quam ipsi Coquetio videatur, stolidè, præcipitanter et inconsiderate respondit. Deo gratias.

CAPUT VI.

RITUALE ROMANUM PRO EADEM SENTENTIA.

Seorsim profero decretum Pontificium Rituali Romano insertum, quia est de eo peculiaris ratio, et adversarii circa illud sententiis seissi sunt, bellaque ac lites circa hoc effluerunt.

Rituale ergo Romanum, quo præscribitur formula administrandi sacramenta, et alios præcipuos Ecclesiæ ritus exercendi, tit. de Sacramento penitentiae, § *Ordo ministrandi sacramentum penitentiae*, vers. *Quod si inter, agens de absolutione ægro impendenda, sic præscribit: Quod si inter confitendum, vel etiam antequam incipiat confiteri, vox et loquela ægrum deficiat, nutibus et signis conetur, quoad ejus fieri poterit, peccata penitentis cognoscere; quibus utcumque, vel in genere, vel in specie cognitis; vel etiam si confitendi desiderium, sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est.* Habentur ista non modo in anterioribus Ritualibus, sive Romanæ, sive aliarum Ecclesiarum, puta in Pastoralibus Leonis X, et in simili opere Cardin. Ludovisii, postea Gregor. XV, quod confecit pro Ecclesia Bononiensi, cui tum præerat, sed etiam in Romano rituali per Paulum V recognito, et approbato 17 junii 1614. Quod enim varia variis locis ritualia haberentur, contestatur Pontifex visum sibi esse e re Ecclesiæ, *ut volumen unum de ritibus, cum in aliis Ecclesiasticis functionibus, tum præsertim in Sacramentorum administratione servandis, ab iis qui curam animarum gerunt, Apostolica auctoritate prodiret; ad cujus voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudine, sua illi minis-*

teria tanquam ad publicam et obsignatam normam peragerent, unoque ac, fidei ductu, inoffenso pede ambularent cum consensu. Exscripsi verba Pontificii Diplomatis, quo Paulus testatur, *re mature considerata, ritus receptos et approbatos Catholicæ Ecclesiæ, in illud volumen esse digestos: hortaturque ad extremum omnes Antistites, ad curandum, ut in posterum tanquam Ecclesiæ Romanæ filii, ejusdem Ecclesiæ, omnium matris et Magistræ, auctoritate constituto rituali in sacris functionibus utantur; et in re tanti momenti, quæ Catholicæ Ecclesiæ, et ab ea probatus usus antiquitatis statuit, inviolate observent.* Non potuit Pontifex gravioribus verbis commendare Rituale quod omnibus Ecclesiis proponebat, ut ad illius præscriptum inoffenso pede sacramenta administrarent, et alios ritus sacros obirent; certi se Catholicæ Ecclesiæ inhærere, et probatis ab ea antiquis usibus insistere, si ex præscripto hujus Ritualis se gererent. Cum ergo in Rituali isto Romano, tam conceptis verbis tradatur, ægrum, si ante inchoatam sacerdoti confessionem obmutescat, quamvis nullum ipse peccatum sacerdoti adveniendi distincte exponat, vel etiam nulla actualia indicia præsentis contritionis exhibeat, tamen absolvendum esse, si saltem per alios ostenderit signa voluntatis confitendi, magnum argumentum inde petitur pro sententia cui confirmandæ insistimus.

Urgebat hoc argumentum doctus Theologus Carmelitanus, Compluti sub annum 1621, cum adversus conclusionem contrariam a Theologo Ordinis Prædicatorum propositam ageret. Respondens, cum alia elabendi via non suppeteret, contempsit Ritualis Romani auctoritatem. Lis inde mota Romam usque pervenit. Qui causam respondentis Romæ susceperant, non ausi in oculis Pontificis despuere Rituale, ut factum in Hispania fuerat, aliam viam iniverunt, ad prætendendum telo, quod vibrabatur, umbonem idoneum. Et primum quidem inficiati sunt diploma Pontificium, Rituali jussu Pauli V recognito præfixum, esse genuinum, causantes subreptionem. Sed cum superstes esset Scipio Cobellutius, Cardin. Sanctæ Susannæ, qui diploma ipsemet confecerat, isque diploma omnino esse genuinum confirmaret, et frustra ostendi subreptionem testaretur, alia declinandi via captanda fuit. Dixerunt itaque in Rituale typis eusum irrepsisse mendum typographyum; et ubi legitur, *absolvendus est*, legendum fuisse, *absolvendus non est.* Verum hæc

responsio visa est hominum causam suam desperantium, nec curantium quomodo adversarium repellant, dummodo repellant. Sane si sit locus his additamenti Leviathan, nihil deinceps sincerum ac tutum habebimus. Hujusmodi plusquam poetica licentia, Cosmas Morelles, Ordinis Prædicatorum, anno 1613, cum editioni operum S. Thomæ præset, locum ex 1 sert., distinct. 42, quo S. Thomas disertis verbis affirmat *Beatam Virginem esse conceptam sine peccato originali*, infarta particula negante, depravavit; ita ut juxta eum diceret S. Thomas, *Beatam Virginem non esse conceptam sine peccato originali*; quæ quanta sit sinceritas nihil attinet dicere. Contextus certe et filum disputationis S. Doctoris clamat adversus eam malignantis naturæ interpolationem. Evertitur enim universa D. Thomæ ratiocinatio, nisi expungatur particula illa negatîva, et textus perstet azimus cum sua affirmatione expressa in omnibus ad unam anterioribus editionibus, etiam Romana Pii V, et innumeris manuscriptis codicibus. Quid vero aliud in Sacris Scripturis ac Patrum libris sæpe sæpius ab hæreticis, novis æque ac veteribus, factum est, non absque Tertulliani stomacho et justa Catholicorum concitatione? Ago in hanc corruptelam, fustuario potius quam correctione dignam, alio loco. Cum ergo Cardinalis S. Suzzannæ ad hoc additamentum Rituali immisum inhorresceret, et filum præscripti ferat affirmationem, non negationem (alioqui is quoque ejus peccata sacerdos in specie per nutus cognosceret, absolvendus non esset; quandoquidem unica periodus, eodem tenore, et istum, et eum qui plane oppressus jacet, comprehendit, et similiter de utroque pronunciat), nec ulli codices, sive typis editi, sive manuscripti, et e quibus editio Romana sub Paulo V adornata est, aliud habeant quam *absolvendum esse*, Harpocrati denique litatum est ab adversariis. Nam, 2 Decembr. 1621, coram Pontifice decretum fuit, in eventu illo de obmutescente, servari Rituale in-contaminatum, absolvendo ægrum, addita declaratione, quæ ferebat verum non esse quod præscripta in Rituali adversentur decreto Clementis VIII. Audiant adversarii, decretorum Romanorum a suis (ut aiunt) curatorum ostentatores.

Aliter argumentum ex Ritualis Romani auctoritate infringere conati sunt in Belgio, F. Francisc. Hyacinthus Coquetius, et Petrus de Fay, revenientes ad responsum primum,

quod in Hispania datum diximus, sed via tantisper alia, et additis quibusdam quæ interest non præterire. Coquetius ergo, capite septimo dissertationis de hoc negotio, numero quadragesimo secundo, cum præmisisset Synodos et Concilia provincialia, in rem nostram adducta, non plus habere auctoritatis quam eos a quibus dicta est in illis sententia, et hujusmodi cœtus sæpe impegisse, cum non accessit Pontificia approbatio, subdit, deveniens ad auctoritatem Ritualis: *Ad confirmationem, eodem modo dicitur Manuale, seu Rituale illud, ut et alia, alicujus privati Doctoris opera confectum esse, et illius auctoritatem non excedere. Neque consensus Pontificis aut jussio, ut conscriptum fuerit et evulgatum, confert aliquod pondus rebus quæ in eo præscribuntur; tum quia non præcessit serium ac sufficiens Theologorum examen; tum quia Pontifex non intendit communibus ac receptis sententiis Scholarum ullo pacto præjudicare, propter illius opinionem cui Manualis seu Ritualis editionem commisit. Sexcenta sunt exempla quæ afferri possent, sed brevitati consulimus. Meminerint adversarii se neque consentaneæ semper docere manifestæ doctrinæ Catechismi Tridentini, neque vero Manuali, seu Rituali jussu Pauli V edito, quod nunc obijciunt, quod meridiana luce est clarius, et eorum quibusdam, in publicis disputationibus aliquando a me objectum atque ostensum fuit. Monemus deinde præfati Manualis correctorem non satis advertisse quid ipsemet Pontifex Paulus V cum Illustrissimis Cardinalibus censuerit de doctrina illa tradita a Suarez, ut supra diximus, nimirum capite quinto, numero decimo sexto.*

Ex hoc Coquetii responso messem plenam absurditatum licet colligere. Imprimis vero hallucinatur graviter, dum Rituale vult esse opus Doctoris privati, cum sit opus publicum, auctoritate ipsiusmet Pontificis communitum, et ex cathedra propositum omnibus, ut secure eam doctrinam amplexentur in sacramentorum administratione; et nominatim, quoad præscriptam de quo hic agitur, nihil recens est appositum in Rituali, sed exhibitum præcise est quod in antiquissimis Ritualibus præscribatur, ususque Ecclesiæ receptus firmabat. Itaque perperam dicitur Rituale esse opus Doctoris privati. Quod autem addit Coquetius, Pontificem, jubendo ut Rituale evulgetur, nihil addere ponderis iis quæ in Rituali præscribuntur, non video quomodo in homine Catholico ferri possit, cum certum

sit Pontificem, in publica et solemnî propositione doctrinæ de conficiendis sacramentis, qualis fit in Rituali, docere ex cathedra, neque esse errori obnoxium. Intolerabile item est quod Coquetius addit, ut probet diploma Pontificis nullum robur addere Rituali; quia (inquit) *non præcessit serium ac sufficiens Theologorum examen*. At Pontifex contestatur in diplomate se ad id adhibuisse præstantes doctrina et prudentia Cardinales; et longum studium præcellentis doctrinæ viri Julii Antonii Sanctorii, Cardinalis Sanctæ-Severinæ, in hanc rem pridem collatum, non esse prætermissum; necnon eruditos viros in eam curam incubuisse, et omnia mature fuisse considerata. Audin' Coqueti? Omnia sunt mature considerata. Theologi ac scientes rerum sacrarum sunt adhibiti, teste Pontifice. Quid igitur tibi in mentem venit, ut e contrario assereres rem non fuisse satis consideratam, nec præcessisse serium ac sufficiens Theologorum examen? Latet vero te tantum Magistrum, Pontificem, in tradenda doctrina fidei et sanctorum morum (cujusmodi est doctrina de valida confectione Sacramentorum in Rituali proposita), etiamsi peccare posset aliquid statuendo non consultis Doctoribus, tamen non posse errare, tradendo publice et toti Ecclesiæ proponendo talem doctrinam? E contrario autem, quamvis omnes Doctores a Pontifice adhibiti circa aliquam talem doctrinam errarent, Pontificem tamen proponendo aliquid universæ Ecclesiæ non erraturum, mihi est plane certum; quam meam doctrinam cum Reverendissimus Pater Vincentius Candidus, Ordinis Prædicatorum, M. S. Palatii, renueret evulgari, resque in Palatio Apostolico, inter ipsum ac me, coram Eminentiissimo Cardinali Pancirolio, dissidii nostri arbitro, agitata aliquandiu esset, evici denique ut evulgaretur, ducto argumento ex promissa soli Pontifici infallibilitate in tradenda doctrina publica, quam prærogativam non dedit Christus Doctoribus quos Pontifex potest consulere, quantumvis multi, ac vel si omnes orbis universi Doctores contra sentirent. Et ita Suarez, disputatione quinta de fide, sectione octava, et Valentia, secunda secundæ, disputatione prima, quæstione prima, parte septima, § quadragesimo; ac Gilius, prima parte, libro primo, tractato septimo, capite decimo tertio, numero sexto, et septimo. Nimis ergo licentiæ fuit adversus propositionem doctrinæ de conficiendis rite Sacramentis, toti Ecclesiæ a Pontifice publico

diplomate factam, excipere quod defuerit serium et sufficiens examen Theologorum.

At Pontifex *non intendit præjudicare communibus ac receptis sententiis Scholarum, propter opinionem Doctoris privati, qui Rituale concinnavit*. Seponamus hunc privatam Doctorem, quem jam exclusimus. Quod Pontifex præscribit in Rituali, non esse contra communes et receptas Scholarum sententias, monstratum est capite quarto. Nec si nonnulli unius alicujus Scholæ obfirmantur in contrario sensu, arbitrandum est Pontificem tradentem diserte quod illi improbant, non agere serio; et non intendere illis præjudicare. Alioqui Pontifices qui sæpe sæpius tradiderunt sanctum et pium esse, affirmare Conceptionem passivam Deiparæ fuisse immaculatam, non egissent serio, nec intendissent paucis ex una quadam Schola contrariantibus præjudicare, quoad propositionem modalem de probabili veritate et pietate illius assertionis, tametsi quoad propositionem de inesse, ei modali substratam, contestentur Pontifices, se paucis illis minus in Deiparam piis non inferre præjudicium. Possemus nos quoque, ut Coquetii vestigia relegam, sexcenta exempla addensare placitorum apud quosdam in Scholis suis receptorum, et tamen abjectorum a Pontificibus, nihil moratis sensum unius alicujus Scholæ arietem suum assectantis. Possemus, inquam, nos quoque, talia acervare; sed brevitati nos item consulimus. Quod vero Coquetius opponit Doctores Societatis contra Rituale Romanum a Paulo V propositum sentire, calumnia est, quam adversarius nullo adducto exemplo firmavit; quia revera nullum suppetebat. Catechismum Tridentinum, quem alii vocant *Romanum*, quia Romæ, Paulo Manutio solam latinitatem suppeditante, a quodam Ordinis Prædicatorum confectum est, ut satisfaceret menti Concilii Tridentini quod tale aliquod opus conscribi commendabat, verum est non esse ulli Catholico pro certa fidei amussi; imo ejus auctorem non excedere auctoritatem Doctoris privati, et non semel esse hallucinatum; quia auctor ille, dum nimium indulget privatis suorum sententiis, non pauca in illud opus intrusit, quæ merito non probantur omnibus; ut quod negat distinctionem consecrationis ac benedictionis panis et vini, ut Vasquez notat, tertia parte, disputatione centesima nonagesima sexta, capite primo, et Gaspar Hurtado, disputatione tertia de Eucharistia, difficultate sexta. Et quod de concursu Dei, imo præcur-

su ac præoperatione tradit, exponens primum Symboli articulum, numero vigesimo. Nec ex eo quod hic catechismus dicatur *Romanus*, sequitur omnia quæ in eo traduntur esse doctrinam Romanæ Ecclesiæ, nec posse a Catholicis abjici; eodem quippe jure dici posset *Onomasticum Romanum* esse doctrinam Romanæ Ecclesiæ, nec posse de ea dubitari. Itaque hic potest usurpari responsio data a Bernardo, Gregorii VII Apologiste, cumurgeretur adversus eum locus ex Romano Pontificiali, non illo libro Rituali, sed alio historico de Gestis Pontificum; in quo opere aliquid legebatur pro nullitate Sacramentorum a Simoniacis, et Hæreticis, vel excommunicatis ministrorum; cujus doctrinæ contrariam propugnabat Bernardus. Telum ergo ex eo libro petitum, quod amentatum putabatur, quia ex libro titulum Romani Pontificalis præferente ducebatur, sic repellit Bernardus: *Ipsæ etiam Romanus Pontificalis, unde illa exempla protulistis, sæpe numero non ita faciendâ quam facta, historica simplicitate præscribit, nec solum legitimas institutiones, sed et nonnullorum inconsideratas usurpationes referre consuevit. Unde non omnia quæ in eo scripta leguntur, pro Ecclesiasticis sanctionibus recipere debemus, præsertim illa minime quæ a consideratissimis antiquorum Patrum sententiis deviare videmus.*

Extremus Coquetii exscreatus insinuat revocationem præscripti in Rituali quod urgeamus; quam revocationem aperte expressit in sua responsione alter Belga, Petrus de Fay, ad quem propterea veniendum est. Petrus ergo de Fay, in additione ad tertiam partem, quæstione nona, articulo tertio, disputatione tertia, cum sibi objecisset Ritualè Romanum loco allegato, hæc verba habet; juvat enim, ne fides compendio referentis vacillet, ipsa ejus verba exscribere: *Ad Ritualè Romanum, dico quod, stantibus reprobatione expositionis Suaresiana, datæ decreto citato, aliisque duobus decretis allegatis, ne utquam admitti debeat, aut possit. Imo plane hac in parte revocatum et reprobatum censendum sit. Quod vero non corrigatur, existimo eorum quorum interest incuria, et negligentia, aut inadvertentia fieri.* Decreta quorum meminit, sunt ea quæ retulerat in fine corporis, ex Paulo V, 14 julii 1605, et Congregationis Inquisitionis, 20 julii 1605, ac 18 augusti ejusdem anni; quibus interpretatio decreti Clementis VIII a Suarez assignata dicitur non *subsistere*, et idcirco amovendam esse. Ex

his ergo decretis colligit hic auctor præscriptum Ritualis de absolvendo ægro qui obmutuit, si sint qui de ejus prævia dispositione non retractata testentur, esse revocatum ac reprobatum; quamvis negligentia aut oscitantia eorum ad quos attinet, præscriptum illud non sit mutatum, et Ritualè maneat incorrectum.

Hæc est frontis attritio, non ferenda in scriptore Catholico, nedum in Religioso. Nam præterquam quod respuitur et conculcatur doctrina publice a Pontifice proposita omnibus sacramentorum ministris, tanquam sana, et antiquo Ecclesiæ usu probata, ut ipse Pontifex diserte et in actu signato contestatur, præter hanc, inquam, effusionem contemptio nis super talem doctrinam, de qua noxa satis actum est cum Coquetio, adjungitur nova petulantia in Pontificem omnesque ejus ministros, cum dicitur Ritualè ex Cathedra a Pontifice Paulo propositum, esse postea revocatum et reprobatum per decreta memorata, et incorrectionem perseverare ob negligentiam aut incogitantiam eorum ad quos attinet. At corrigere Ritualè quoad doctrinam, de qua agitur, est solius Pontificis; sicut ejus solius est proponere doctrinam fidei ac sanctorum morum. Arguitur ergo Pontifex oscitantia aut incogitantia in re tanti momenti; ita ut non modo doctrinam tradiderit iter pendentem innumeris sacrilegiis toto orbe ex usu illius doctrinæ admittendis; sed etiam sinat per negligentiam, illud doctrinæ lolium perseverare in libro publico, atque adeo in praxi Ecclesiæ. Quod si ipse Pontifex præ negotiorum mole (an etiam juxta adversarium præ nescientia) cæcutivit in re tam gravi et totam Ecclesiam spectante, adeone alte stertuerunt a tot annis, tot ex officio vigiles ac excubitores, tot, inquam, Prælati doctrina præstantes, tot Theologi sacrarum Congregationum ministri, ut nemo tantam labem deprehenderit; nemo, si advertit, de curanda correctione cogitaverit? Quis credat talia Religioso viro et Catholico scriptori excidere potuisse? Revocatio porro Ritualis, quam factam dicit, est omnino commentitia, et sine consideratione perperam jactata. Nam Ritualè Romanum novum, Pauli jussu editum primo est anno 1614, die 17 junii, quæ est dies adscripta diplomati primæ huic editioni præfixo. Decreta autem revocatoria, quæ bonus iste Dormitantius adducit, edita sunt anno 1605, die 14 et 20 julii, necnon 18 augusti. Quomodo ergo decreta tot annis anteriora potue-

runt revocare Ritualè tanto post emissum? Recusum postea est idem Ritualè, nullatenus mutatum, Romæ, 1636, cum privilegio Urbani VIII, quem mirum esset revocationem Ritualis latuisse. Itaque ad populum phaleras. Quomodo autem decreta illa, quæ iste contra Ritualis præscriptum objicit, probe cum Rituali cohæreant, nec illud aut revocaverint, aut quoquomodo infirmaverint, infra excutiam. Nunc sat esto firmitatem argumenti ducti ab auctoritate Ritualis Romani demonstrasse, ejusque firmitatem sartam et post prætentas revocationes constantem asseruisse.

CAPUT VII.

RATIO CONGRUA IN EJUSDEM SENTENTIÆ CONFIRMATIONEM.

In re pendente a Christi voluntate (cujusmodi nominatim sunt sacramenta), ut constet quid ad ea valide conficienda exigatur, non sunt quærendæ demonstrationes, sed duntaxat quærendum est quid tulerit Christi voluntas, et quæ fuerit ejus institutio; quod eruendum præsertim est ex sensu Ecclesiæ et usu jam olim in ea recepto; attendendo item ad sensum Doctorum. Mirum ergo videri non debet quod hoc loco non recipiam proferre nisi rationem congruam, pro materiæ tamen subjectæ conditione idoneam: quales rationes in rebus moralibus debere sufficere Aristoteles quoque admonuit, initio Ethicorum.

Supposito igitur tam multiplici suffragio auctoritatis adducto in superioribus, rationem congruam doctrinæ, pro qua hic satagitur, eruo ex sensu Ecclesiæ atque Doctorum, qui ferre videtur, ut ex parte pœnitentis, ad sacramenti adeo necessarii confectionem, aliud non exigatur, quam ut, concepto dolore de peccatis quæ admisit, exponat ea, aperiatque conscientiam quo meliori modo potest. Idcirco enim in variis eventibus admittitur confessio materialiter diminuta, nec nisi formaliter integra; quia supponitur pœnitentem non posse plus præstare, sive impotentia illa sit physica, sive tantum moralis. Ob impotentiam physicam, Navarrus, in summa, capite vigesimo primo, numero trigesimo sexto; Victoria in summa, numero centesimo trigesimo septimo; Valent., tertia parte, distinctione septima, quæstione decima prima, puncto primo, in fine, liberant obligatione confitendi, eos pœnitentes qui gravantur peccatis mortalibus non explicabilibus nisi per scripturam;

sed quia aliqui circa hoc tricantur, commodius est exemplum ejus qui meminit in genere se admisisse peccatum mortale, et hoc ita confitetur. Talis quippe debet absolvi, ex D. Thoma, in quarto, distinctione vigesima prima, quæstione secunda, articulo primo et secundo, quia confitetur ut potest. Simile exemplum est ejus cui plane excidit peccatum quod admisit, ita ut ne recolat quidem se aliquid grave et confessione expiandum admisisse. Nihilominus ejus confessio cum dolore extenso ad omnes culpas, etiam latentes, si quæ subessent, valida est ad absolutionem illius latentis peccati comparandam. Cum enim principium moraliter operandi sit cognitio prævia, si supponatur prorsus deesse peccati abditæ notitiam, impossibile est satisfacere legi mandanti expressionem peccati omnimoda oblivione contriti. Atque ita cum nulla lex obliget ad impossibile, cessat per accidens obligatio exponendi confessario tale peccatum; nec Deus, cujus omnes voluntates sunt rectissimæ, vitio vertet homini quod eam culpam sacerdoti non aperuerit, absque cujus expressione facit quidquid potest, si exponat omnia peccata quæ habet in conscientia, ut loquitur Tridentinum, sessione decima quarta, capite quinto, et canone septimo, id est, quorum habet memoriam. Favet D. Thomas, Quolib. primo, articulo decimo, docens hominem, juxta usum receptum, teneri peccata sua sacerdoti ore aperire cum potest. Nota *cum potest*. Igitur si non potest, satis est ut faciat quod potest. Exemplum impotentia moralis, exolvantis peccatorem obligatione aperiendi distincte aliquod peccatum, cernitur in eventu in quo homo jure timeat grave incommodum, aut proprium, aut alterius quam complicitis, consecuturum distinctam refectionem alicujus peccati in confessione apud sacerdotem. Præcepta enim positiva justa, et humanæ fragilitati accommodata (cujusmodi semper sunt quæ a Deo imponuntur), non obligant, si ingruat magnum discrimen eorum adimpletionem. Atque ita in talibus adjunctis homo non urgetur præcepto confessionis; quia, positus illis adjunctis, censetur impotens ad confitendum, et quamvis prætermittat peccatorum expositionem adeo sibi damnosam, tamen censetur facere quod potest, quod unum ab eo exigit Deus. Non immeror in his stabiliendis, quia rata sunt apud omnes Theologos exponentes confessionis sacramentalis integritatem, nullo prorsus refragante.